


R. P. D.

VICECOMITE

Polocen. Bonorum.

Veneris 19. *Ianuarii* 1753.

SEmel, & iterùm jàm confirmari promeruit res judicata Rotalis approbans Donationem Piiſſimi Regis Stephani Battorei, qui poſt recuperatum ſub inſigni Victoria Palatinatum Polocenſem jam in hereſim prolapſum è manibus Moſchorum Principis, Templa, Eccleſias, & Poſſeſſiones, ac cætera Bona jam præcedenter Deo dicata, & à Græcis Schiſmaticis poſtmodum prophanata, & diruta S. Romanæ Eccleſiæ re- ſti-

stituit, ac titulo Donationis de anno 1582. largitus fuit Inclitæ Societati Iesu sub onere tum erigendi in eodem Palatinatu Collegium ex quinquaginta Religiosis compositum, qui hæresi extirpandæ, ac Catholicæ propagandæ Religioni incumberent, tum necessarias Parochias tum Seminarium prò Adolescentibus instruendis, tùm Nosocomium prò Infirmis, ut videre est *in Decisionibus sub die* 14. *Maii* 1751., *&* 24. *Ianuarii* 1752. *coram Me* emanatis. Et quamvis Florianus Hrebnichi Archiepiscopus Polocensis, qui nomine etiam totius sui Cleri Ritus Græci hanc Donationem impugnare authumavit, nunquam in hoc extremo devolutivo sua jura experiri voluerit, nihilominus concessa eidem ex Sacri Tribunalis indulgentia post tot annorum spatium adversus hasce Decisiones nova audientia; Cum hodiè prò tertia vice renovatum fuerit illarum examen, persistente adhuc laudato Archiepiscopo in sua contumacia, licet pluries monito, & lacessito, omnibus suffragantibus RR. PP., responsum fuit *in Decisis*.

2 Impugnari namque non poterat justitia hujusce rei judicatæ, ex quo Ven. Collegium Societatis Iesu post adimpletam Donationis legem, & erectum Seminarium; & Nosocomium, ac Parochias institutas, & Templa reædificata ab anno 1582, in quieta, & pacifica reperitur Bonorum omnium possessione in vim prælaudatæ Donationis coram Senatoribus, & omnibus Regni Proceribus expletæ, & quæ de anno 1585. in Supremis Regni Comitiis fuit ab eodem Rege confirmata, & inter solenniores Regni leges registrata, quæquè insuper de anno 1605. à cla. mem. Cardinali Bernardo Macieoushi Summi Pontificis Pauli V. Legato à Latere in Regno Poloniæ ex speciali S. Sedis auctoritate confirmata fuit. Talis autem diutina, ac adeò longæva possessio metam centeni temporis longè excedens, nemo est, qui non calleat, quod titulum undequaque firmum, & validum, ac omninò inelidibilem favore dicti Collegii subministret, ut, relatis antiquioribus Decisionibus *coram bon. mem. Cornelio*, *&* *Gamaches*, firmant tam *dicta prima mea Decisio* §.3. *quam secunda* §.2.

3 Nec subsistit infectio tituli hujusce Centenariæ promanans ex defectu sivè voluntatis, sivè potestatis in Stephano Rege donante. Quandoquidem defectus voluntatis patentissimè excluditur, inspecto Regiæ Donationis Diplomate, quippè in eo nedùm comprehensa leguntur Bona *Regalia*, & ad Regium Iuspatronatus spectantia, sed specialiter, & nominatim descripta apparent *Villæ*, *Prædia*, *aliaque terrestria Bona* à piis quibusvis Benefactoribus in Ecclesias & Loca Pia Ruthenici Ritus collata, idque ipsum habetur in Confirmatione Apostolica à prælaudato Cardinali à

La-

Latere expleta; adeout procul ab omni veritate est, quod Rex Stephanus donans sola Bona *Regalia* donare intellexerit. Eò vel fortius quia intentio Donantis, & causa finalis Donationis ea dumtaxat fuit restituendi Deo, ejusque Ecclesiæ Bona omnia, quæ jam prius Deo dicata erant, ut cum nova Collegii, & Parochiarum erectione Catholica Religio pristino Statui, & decori restitueretur, proptereaque hodierno restricto examine ad Donationis validitatem, & subsistentiam, frustraneum est inquirere de qualitate Bonorum in ea comprehensorum, ut ponderat *ultima Decisio* §.4.

4 Æquè corruit defectus potestatis in Rege Stephano Donante. In facto namque absolutissimum est, quod idem Rex anno 1579. omnia hęc Bona, & Templa ab Hæreticis devastata, ab eorum manibus jure Belli vindicavit, & Clerici Ritus Greci in hæresim prolapsi non priùs ad gremium Catholicæ Religionis redierunt, quam anno 1596., undè juste potuit idem Rex anno 1582. eadem Bona, & Templa, quæ jam in plenum dominium, & potestatem S. Sedis, & Catholicæ Romanæ Ecclesiæ transiverant, S. Romanæ Ecclesiæ, & Apostolicæ Sedi restituere, fundando, & erigendo ex eis Collegium, & Parochias ad propulsandam hæresim, & Catholicam Religionem restaurandam. Cumque huic adeò pio, & laudabili Regis facto superaccesserit specifica S. Sedis Apostolicæ confirmatio, mediante approbatione hujusce Donationis expleta à Cardinali Legatò à Latere asserente ad id speciale habuisse à S. Sede mandatum, ac insuper longæva, & pacifica subsequuta observantia annorum 140, perperam idcircò hodiè eadem Donatio ex defectu potestatis impugnari contenditur ex firmatis tam *in prima Decisione* §.5.; *quam in* 2. §.6.

5 Nèc talis specifica Donationis confirmatio, & approbatio Auctoritate Apostolica expleta impugnari valet, ex quo in Indulto Legationis in Regno Poloniæ commissæ Cardinali Macieouski concessa non legatur facultas approbandi Donationes de rebus Ecclesiæ, quæ est soli Pontifici reservata; Siquidèm eò ipso, quod prælaudatus Cardinalis hanc expleuit Donationis Confirmationem, non quidèm vigore generalis Indulti Legationis, sed vigore specialium Literarum, quas ad huiusmodi præcisè effectum à S. Sede reportasse asseruit, & professus fuit, proùt ipsius assertio in dubium reuocari non valet, ità nec potestas deueniendi ad huiusmodi confirmationem controuerti potest. Signantèr quià Legatis, & Nunciis Apostolicis vltrà generales facultates in Indultis expressas, aliæ quoquè, & peculiares seorsim elargiri solent, vt Testimonium de hoc perhibuit clar. mem. Cardinalis Aldrouandus, qui in Hispaniis Nuncii munere functus fuit in sua huius Causæ

decisione diei 7. Februarii 1729. §.10.

6 Et vel fortiùs quià in ipsomet Indulto Legationis à Sa. Me. Paulo V. commissæ Cardinali Macieouski expresse mandatur, quod in Concessionibus, Dispensationibus, aliisquè Gratiis ab ipso elargiendis, plena ipsius assertioni adhiberetur fides, absquè eo quod speciales facultates eidem actui inserere adstrictus foret. Quamobrèm si præfatus Cardinalis Donationem confirmauit *Auctoritate Apostolica, qua fungimur Nobis per speciales eiusdem Apostolicæ Sedis Literas, ad quarum insertionem non tenemur, concessa*, iàm in propatulo est præfatum Cardinalem plenam ad huiusmodi explendam Confirmationem habuisse à S. Sede facultatem, nimisquè absonum foret assertionem adeò qualificati Viri tùm ratione Dignitatis, tùm muneris in dubium reuocare ex relatis *in vltima mea Decisione* §.9.

7 Omnisquè remouetur difficultas, ex quo expressæ Confirmationi S. Sedis superaccessit quoquè tacita, & virtualis resultans ex plusquàm centenaria eiusdem Donationis obseruantia. Cùm enim in tanto temporis decursu nemo adfuit, qui Donationem ausus sit impugnare, proùt ex hac longæua centeni temporis obseruantia, quilibet melior, ac magis proficuus de Mundo titulus subministratur, ità eadem exuberat ad præsumendum tùm interuentum specialium facultatum S. Sedis ad Donationem confirmandam, tùm etiàm ipsammet Summi Pontificis specialem approbationem ex integro superuentam, vt plenè ratiocinatur *in dicta vltima Decisione* §.10., *& seqq.*

8 Infelicitèr autèm vis huiusce Centenariæ elidi prætendebatur, vel ex eo, quod Archiepiscopi hanc Donationem ignorauerint, vèl ex nonnullis molestiis, quæ variis temporibus asserunt Collegio illatæ. Vltrà quod enim ignorantia Donationis in Archiepiscopis non est vllo modo conciliabilis cum molestiis, quas intulisse asserunt Ven. Collegio. Insupèr respectu ignorantiæ, hæc penitùs eliminatur, nedùm quià res est de Donatione à Rege Stephano cum eximia solemnitate expleta, eidem subscriptis Proceribus, & Senatoribus Regni, in volumine Legum Regni registrata, ac in publicis Comitiis cum omnium Ordinum consensu ab eodem Rege confirmata; Verùm & fortiùs quià ipsimet Archiepiscopi Polocenses de anno 1595., & 1599. iudicialitèr fuerunt compulsi ad restituendum nonnulla Bona in eadem Donatione comprehensa Ven. Collegio, & Iudicio paruerunt, & quieuerunt. Quodquè magis vrget, B. Iosaphat Archiepiscopus Polocensis anno 1612. quoddam Prædium in præfata Donatione comprehensum illicò, & incunctantèr Ven. Collegio restituit, & consignauit, asserens id explere in obsequium

ve-

veritatis, & iustitiæ. Quæ omnia manifestè excludunt quamlibet Archiepiscoporum ignorantiam, vnaquè simùl insuperabile robur addunt centenariæ, ac inconcussæ eiusdem Donationis obseruantiæ ex cumulatis *in dicta vltima Decisione* §. 13.

9 Quouerò ad molestias, quæ variis temporibus supponuntur illatæ. Si sermo sit de illis à Theophanes Archiepiscopo ab anno 1582. ad annum 1596. illatis, istæ sperni omninò debent, nedùm quià præcesserunt Centenariam postmodùm effluxam; Verùm & fortiùs quià de eo tempore idem Archiepiscopus, cæteriquè Russiæ Episcopi in hæresim lapsi, in ea adhùc miserè languebant, vt testantur Magnates Palatinatus Polocensis, & Vittebescensis, & refert *Baronius in Dissert. de Ruthenis impress. tom. 7. Annal. à num. 5. ad sequen.*, *& Bulla Sa. Me. Clementis VII.*, idemquè dici debet de Protestationibus emissis, anno 1604., cùm istæ expletæ fuerint à Clericis, vèl Ecclesiis adhùc ad Gremium, & Vnionem S. Sedis Apostolicæ non reuersis.

10 Si verò proferatur recursus habitus de anno 1668. ad Sac. Congregationem de Propaganda Fide, quæ rescripsit = *Nuncio prò Concordia* =, cùm eo nunquàm vti ausus fuerit Archiepiscopus sui mali iuris plenissimè edoctus, nullius remanet efficaciæ. Proùt quoquè euanida redditur reclamatio moderni Archiepiscopi, quæ asseritur de anno 1701., quamuis reuerà non prius quàm anno 1725. fuerit effectuata, quià hæc processit post iamdiù completam Centenariam, & iàm pendente hoc litigio. Cumquè omnes huiusmodi molestiæ non excesserint limites verbalium conquestionum absquè vlla citatione Collegii, propterea aptæ iudicari non possunt ad vim, & efficaciam Centenariæ interrumpendam, vt concludit *dicta vltima Decisio* §. *finali*.

Et ità vniuerso suffragante Auditorio resolutum fuit vnica &c.

ROMÆ MDCCLIII.
Ex Typographia Reu. Cam. Apost.

Superiorum facultate.

Veritatis, & Iustitiae. Quae omnia maxime excludunt quominus Archiepiscopo quoquomodo [illegible] [illegible] supponi [illegible] adsunt [illegible], [illegible] consuetudinem [illegible] ex cumulatis in dicta ultima Decisione [illegible].

9 Quoad ad molestias, quae variis temporibus supponuntur illatae, [illegible] de illis à [illegible] Archiepiscopo ab anno 1582. ad annum 1592. illatis, [illegible] debent, neàdum quia praecesserunt Centenarium [illegible], Verum & fortius quia de eo tempore idem Archiepiscopus, caeterique [illegible] Episcopi in haeresim lapsi, [illegible], ut testantur [illegible] Palatinatus Poloniensis, & Vitebscensis, & [illegible] [illegible] in [illegible] [illegible] tom. 3. [illegible] [illegible] & [illegible] [illegible] Clementis VIII., idemque dici debet de Protestationibus emissis anno 1604. cùm istae expletae fuerint à Clericis, vel Ecclesiis adhuc ad Graecum, & Unionem S. Sedis Apostolicae non reversis.

10 Secundò praeferatur recursus habitus de anno 1668. ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide, quae rescripsit = Nihil pro [illegible] =, cùm eo nunquam [illegible] [illegible] Archiepiscopus sui iuris plenissime edoctus, nullius remanet efficaciae. Prout quoque [illegible] redditur reclamatio moderni Archiepiscopi, quae asseritur de anno 1701., quamvis revera non prius quàm anno 1705. [illegible] effectuata, quia haec processit post iamdiu completum Centenarium, & illo pendente hoc litigio. Cumque omnes huiusmodi molestiae non excesserint limites verbalium conquestionum absque ulla [illegible] Collegiis, propterea apte iudicari non possunt ad vim, & effectum Centenariae interrumpendam, ut concludit dicta ultima Decisio [illegible].

Et ità [illegible] suffragante Auditorio resolutum fuit unica &c.

ROMAE MDCCLIII.

Ex Typographia Rev. Cam. Apost.

Superiorum facultate.

Druki wyjątkowe
dotyczące dziejów
różnych województw polskich

20.000